

esse coniectant, quomodo etiam multa, de ventis nautae, de pluviis agricolae, de morbis medici praedicere solent, quae vero Daemones de futuris interrogati nesciunt ea per ambages et aequivoca verba respondent, et cum falsa comperuntur, interpretibus et conectoribus culpam attribuant. Solus ergo Dominus Deus noster, cujus sapientiae non est numerus, vera fundit oracula, ac de futuris quibusque etiam contingentibus et liberis vera praedicat.

Jam vero divinae sapientiae altitudo celsissima est, et omnia sublimitatem sapientiae hominum, vel Angelorum longissime superat. Altitudo sapientiae ex objecti, potentiae, speciei, et actus nobilitate dignoscitur. Objectum sapientiae Dei non solum naturale, sed etiam proportionatum est ipsa divina essentia, quae usque adeo sublimis est, ut neque humano, neque Angelico intellectui proportionatum objectum sit. Itaque ne supremi quidem Angeli ad Deum videndum conscendere possunt, nisi per lumen gloriae evehantur, atque haec est causa, cur Deus invisibilis in Scripturis sanctis esse dicatur. *Regi saeculorum immortalis, invisibilis soli Deo, inquit Apostolus in priore ad Timotheum, qui etiam postea addit, Deum lucem habitare inaccessibilem.* Deinde potentia, quae in nobis est accidens, in Deo divina substantia est, ac per hoc longe sublimior, et altior quam in nobis. Species autem tanto altior est, quanto plura representat, haec per hoc Angeli quoque species habent universales, et pauciores eo altiorum scientiam habere dicuntur, quanta igitur est altitudo sapientiae Dei, qui non aliam speciem habet, quam essentiam suam, quae una est, et sola Deo sufficit ad ipsum Deum, et res omnes creatas, aut creandas, aut etiam quae possent creari, vel representandas, vel cognoscendas?

Denique illa scientia, vel sapientia nobilior atque altior esse dicitur, quae per pauciores actus plura cognoscit: Deus autem unico solum intuitu, qui semper in eo viget, et immutabilis permanet, et se ipse et cetera omnia perfecte cognoscit. Sola igitur sapientia Dei nobilissima atque altissima dici debet. Erige nunc, anima mea, oculos tuos, et vide quantum distet scientia tua a sapientia conditoris tui; tu enim per multos actus, huc atque illic discurrendo vix rem unam perfecte cognoscis, conditor autem tuus contra, per unum actum res omnes, et

se ipse clarissime ac distinctissime intuetur et tamen tu ipsa nunc in tenebris jaceas, potes si velis penitus fidei et charitatis tam alto conscendere, et post corporis mortalis depositionem a claritate in claritatem transformata in lumine Dei lumen Deum videas, et similis effecta Deo tu quoque uno intuitu, eoque in aeternum manente Deum in se, et te, ac res omnes creatas in Deo simul videre queas. *Quid enim non videt, inquit S. Gregorius in dialogis, qui videntem omnia videt? et Quae erit illa voluptas, illa gloria, illa rerum omnium copia, Cum admissa ad inaccessible lucem, omnium bonorum Domini tui particeps eris?* Regina Saba cum Salomonis sapientiam audivisset, et ordinem ministrorum domus ejus sapienter dispositum vidisset, ita obstupuit, ut non haberet ultra spiritum (sic loquitur Scriptura). *Et exclamavit: Beati viri tui, et beati servi tui, qui sunt coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.* Et quid simile habet sapientia Salomonis cum sapientia Dei, qui solus sapiens et ipsa sapientia est? et quid est ordo ministrorum Salomonis comparatus cum novem ordinibus Angelorum Dei, quorum millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt ei? Certe, si vel modicum ista gustares, nihil non moveres, nihil non faceres, nihil non libentissime patereris, ut Deum promereri posses, humiliare ergo interim sub potenti manu Dei, ut te exaltet in die visitationis, humilia intellectum ad fidem, ut exalteris ad visionem: humilia et voluntatem ad obedientiam mandatorum, ut exalteris ad libertatem gloriae filiorum Dei: humilia et carnem ad patientiam et labores, ut glorificatam Deus exaltet ad requiem sempiternam.

Restat ut profunditatem sapientiae Dei consideremus, quae praecipue in scrutatione rerum, et cordium, id est, in cognitione cogitationum, et cupiditatum humanarum, praesertim futurarum posita esse videtur, hinc enim legitur: *Homo videt ea, quae parent, Dominus autem intuetur cor; et Tu solus nosti corda filiorum hominum; et: Intellexisti cogitationes meas de longe: semitas meas investigasti, et omnes vias meas praevidisti; et, Ipse novit abscondita cordis; et, Pravum est cor hominis, et inscrutabile, et quis cognosset illud? ego Dominus scrutans renes et corda.* Quo loco septuaginta Interpretes verterunt: *Profundum est cor hominis, et inscrutabile.* Atque hunc locum

exponens S. Hieronymus admonet, recte probari Christum esse Deum, quia videbat cogitationes hominum, quas solus Deus videre potest, et: *Cum vidisset Jesus cogitationes eorum. Ipse vero sciebat cogitationes eorum. Quid ista cogitatis in cordibus vestris?* Igitur omnis cogitatio et cupiditas humana, etiam praesens, et reipsa existens, profunda est valde, et neque Angeli, neque Daemones, neque homines ad eam investigandam penetrare valeant: sed longe profundior est cogitatio, vel cupiditas futura, hanc enim non solum nequeunt homines, vel Angeli penetrare: sed nec penetrare certe possunt, qua via Deus, qui eas solus novit, ad eas investigandas progrediatur. Atque hoc videtur significare voluisse David in Psalmo, cum ait: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Illud enim, ex me, phrasi Hebraea significat praeter me, vel super me, ut sensus sit, mirabilior est scientia tua, quam ut ego intelligere possim, quomodo illa se habeat. Ideo enim subjungit: *Confortata est et non potero ad eam, id est, elevata est super notitiam meam, et non potero ad eam capiendam ulla ratione conscendere.* Loquitur autem de scientia cogitationum futurarum, dixerat enim: *Intellexisti cogitationes meas de longe, et omnes vias meas praevidisti.* De harum igitur cogitationum et viarum praenotione dicit: *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam.* Potest fortasse responderi, Deum videre cogitationes istas futuras in aeternitate sua, cui omnia sunt praesentia, vel in praedeterminatione voluntatis suae: sed si ita esset, non esset mirabilis scientia ista, nam et nos possumus facile scire, quae facturi sumus, vel quae nobis praesentia sunt. Scriptura vero dicit, Deum scrutari renes, et corda, atque ibi videre, quid homo cupiat, vel cogitet, aut quid postea cupiet, vel cogitabit. Hoc vero est prorsus admirabile, quomodo Deus scrutando renes et corda videat quod ibi nondum est, et quod ex libertate voluntatis pendet, an aliquando erit. Igitur sicut ad altitudinem potentiae Dei pertinet, ut ex nihilo faciat aliquid, et vocet ea, quae non sunt, ut ea quae sunt: sic ad profunditatem sapientiae Dei pertinet, ut scrutando renes et corda videat quod ibi nondum est, ac si jam esset, quod sine dubio erit.

Sed quia non quaestiones disputandas, sed animam excitandas, et in Deum elevandas suscepi, excitare, anima mea, et leva te su-

per te, ut Jeremias admonet, et cogita profundam illam abyssum sapientiae Dei, quae scrutatur intima cordis, et multa ibi videt, quae cor ipsum non videt. O beatissima Petre, cum dicebas Domino, *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo,* certe non duplici corde tuo videbas fragilitatem illam quam in eo Dominus tuus videbat, cum diceret: *Antequam gallus cantet bis, ter me negabis,* videbat enim medicus peritissimus in corde tuo infirmitatem, quam tu non videbas, et verum fuit, quod praedixit medicus, non quod jactavit aegrotus. Sed gratias age medico, qui ut praevидit, et praedixit morbum futurum, sic potenti medicina potentiam animae tuae divinitus inspiravit, et morbum cito curavit. O bone, o pie, o sapientissime et potentissime medicus, ab oculis malis meis munda me. Quanta ego non deploro, nec lacrymis lavo, quia non video? adsit mihi gratia tua, qui scrutaris renes, et corda: et quas ego cupiditates malas, et opera etiam mala non video, tu qui vides, ostende et pie respiciens produc fontem lacrymarum, ut dum tempus est laventur, et deleantur per gratiam tuam. Amen.

## GRADUS DECIMUS TERTIUS

## Ex consideratione sapientiae practicae.

Consideravimus sapientiam Dei theoreticam: nunc sapientia practica consideranda est, quam etiam electricum dicere possumus. Habet haec sapientia suam latitudinem, longitudinem, altitudinem, et profunditatem. Latitudo ex creatione cognoscitur, longitudo ex conservatione rerum creaturarum, altitudo ex opere redemptionis, profunditas ex providentia, et praedestinatione. Ac ut a creatione incipiamus. *Deus omnia in sapientia fecit, ut dicitur in Psalmis, Et effudit illam super omnia opera sua, ut scribit Ecclesiasticus.* Itaque sicut ex creatione rerum omnium ex nihilo cognoscimus potentiam opificis, sic ex artificio admirabili, quod in singulis cernimus, admiramus sapientiam Conditoris, disposuit enim omnia et singula *In mensura, et numero et pondere, ut dicit Sapiens.* Atque hic est sapor, quo condit omnia Deus, ut ex eo sapore, cognoscamus, quam sapida sit ipsa sapientia, et quam amabilis, ac desiderabilis: res igitur omnes creatae certam habent mensuram, certum numerum, et certum pondus, tum, ut dis-

tinguantur a Deo, qui non habet mensuram, quia est immensus nec numerum, quia est summe unus, et simplex, quoad essentialitatem: nec pondus, quoniam ejus aestimatio et pretium superat omnem aestimationem et pretium: tum, ut bonae et pulchrae sint, ac verissime dixerit Moses: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*, habent igitur cunctae res eam mensuram, quae necessaria est ad finem consequendum, cujus gratia factae sunt, nec potest illi mensurae aliquid addi, vel detrahi, quin res deformis, vel inutilis ac per hoc minus bona reddatur. *Cuncta fecit Deus bona in tempore suo*, inquit Ecclesiastes, *nec possumus eis quicquam addere, vel detrudere quae fecit Deus, ut timeatur*. Igitur caelo dedit Deus mensuram amplissimam, quoniam omnia inferiora ambitu complecti debet: aeri multo minorem quam caelo, sed majorem quam terra et aquis, quae unum globum efficiunt, et ab aere undique continentur. Elephanto mensuram corporis maximam attribuit, ut onera maxima, et ipsas turres hominibus refertas portaret. Equum paulo minorem, quod ad unum solum equitem gerendum factus esset; aviculas minutas fecit, ut in ramis arborum nidum suspendere possent: apes et formicas minutissimas, ut in foraminibus, vel alveariis, vel terrae delitescerent. Hoc idem de numero dicere possumus; unum creavit Deus solem, quoniam ad illustrandam omnem terram, et diem suo splendore faciendum sol unus satis erat: lunam quoque fecit unam, quoniam ad noctem illuminandam una sufficiebat: stellas plurimas esse voluit, ut cum sol et luna abessent, quod in conjunctione solis et lunae contingit, tenebras noctis utcumque discuterent. Nec solum rebus omnibus in communi numerum partium ita constituit, ut nihil addi, vel minui possit. Attribuit Deus homini duos oculos, duas aures, duas manus duos pedes, nasum unum, os unum, pectus unum, caput unum, et res pulcherrima et ornatissima apparuit. Inverte ordinem, pone alicui homini unum oculum, duos nasos, unam auriculam, duo ora, unam manum, et unum pedem, duo pectora, et duo capita, nihil fedius, nihil inutilius fieri poterit. Denique pondus, id est, aestimationem unicuique rei Deus attribuit, quam ejus natura requirebat. Porro nomine ponderis, sive pretii, qualitates intelligimus, quae bonas res pretiosas reddunt, haec enim tria res omnes periciunt, numerus partium, qui necessarius est, ut

nulla omnino desit: commensuratio, sive apta proportio partium: denique qualitates internae, sive externae, ut suavitatis coloris in externa superficie corporis, et virtus interna, quae ad actiones varias utilis, vel necessaria est. Sed est omnino admirandum, quantum vim Deus rebus quibusdam exiguis ac parvissimis attribuerit, ut videatur potentiam suam in rebus magnis, sapientiam in parvis ostendere voluisse, quis capiat quanta virtus insit in grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus, ut vix oculis discerni possit, et tamen in eo latet arbor magna, ut etiam aves habitent in ramis ejus, ut Veritas in Evangelio loquitur. Neque hoc est proprium sinapis, sed commune omnibus seminibus, in quorum virtute radices, trunci, rami, folia, flores, et fructus maximarum arborum delitescunt. Certe si hoc ipsum experimento manifesto non didicissemus, non facile persuaderi posset hominibus ex tantulo semine tantam molem rerum diversissimarum exoriri unquam potuisse. Quis item capiat in formica, inculice, in pulice, in aliis minutissimis animalculis esse pedes, qui velocissime moveantur, esse caput, esse cor, esse sensus externos, et internos, esse suo quodammodo, quamvis admodum imperfecto, prudentiam, atque iudicium? quis denique capiat in iisdem, et aliis id genus animalculis minutissimis, et tenuissimis esse tantam vim terebrandi et perforandi carnes vivas, ut non solum hominibus molestissima sint, sed etiam elephantum et leones a culicibus terantur? Magnus igitur Dominus, et magna sapientia ejus, ut in maximis, sic etiam in minimis. Admiraturus est aliquando princeps ille medicorum quamvis ethnicus artificium Dei, quod in manu humana cernitur, et exclamavit in laudem Conditoris: quid te, Christiane, facere oporteret, qui non solum hominum et ceterorum animalium corpora, sed etiam caelum, et aethera, et Angelos, et mentes hominum immortales incredibili sapientia ab eodem sapientissimo conditore creata fuisse non dubitas?

Jam vero longitudo sapientiae practicae in conservatione rerum elucet, ut ejus latitudinem in creatione laedere jam diximus. Igitur sapientia Dei magna, et admirabilis in rerum creaturarum, ac potissimum corruptibilium conservatione, et duratione conspicietur.

Ac primum, si quis cogitet, quomodo Deus nutriat et auget herbas, plantas, animalia, et ipsa hominum corpora, ut con-

serventur quanto diutius possunt, omnino stupore quodam attonitus non poterit satis mirari sapientiam Dei: nam ex terra et aqua nutrit herbas et plantas, et facit ut alimentum illud transeat a radicibus ad truncum, et a trunco ad ramos, et folia, et fructus a vi quadam rursus trahatur, et omnia penetret ratione, et modo prorsus admirabili; sic etiam ex herbis, et pomis, et ex ipsa carne animalium nutrit animalia nonnulla, et ipsos homines, et facit ut alimentum intret, et penetret ad omnes partes corporis internas, et externas tanta facilitate et suavitate, ut incredibile videatur. Agit Deus instar medici doctissimi, et humanissimi, qui pharmaciae novit condire, ut non solum facile, sed etiam libenter ab aegrotis sumantur, cibi enim sine dubio medicamenta sunt, quae nisi a mortalibus sapienter accipiuntur, mortem vitare non possunt. Sed amantissimus et sapientissimus medicus noster Deus, primo saporem indidit cibis, ut cum delectatione sumantur: deinde variavit infinitis modis ad tollendum fastidium: denique per varias alternationes in ore, et stomacho, in hepate, in corde convertit cibum in succum adeo tenuem, et subtilem, ut sine scissione, vel dolore transeat per omnes venas, et venulas, et poros corporis, atque ac omnes partes carnis, ossium, nervorum penetret, nobis non sentientibus, vel etiam dormientibus, admirantur Philosophi naturae solertiam, et artem, cum ista speculantur. Sed quae esse potest in rebus inanims, vel sensus, et rationis expertibus solertia? non igitur naturae solertia, sed Conditoris sapientia admiranda est, quae et naturam fecit, et modum advenit quo ista mirabilia fierent. Audi sapientiam Dei loquentem in Evangelio: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque curant, et Deus sic vestit, non igitur natura solertia, sed Deus facit ut lilia crescant, et tam decoris quasi vestibus induantur, quod idem de nutritione et incremento viventium omnium dici potest. Apostolo testante, qui ait: Neque, qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Et si tam admirabili modo sapientia Dei pascit, et nutrit, et in vita mortali conservat plantas, et animalia, cogita, si potes, anima, quomodo in aeterna vita pascit Deus mentes Angelorum, et hominum; in terris enim terrenicibus, sed a divina sapientia conditis alimentum; in caelo vero sapientia ipsa est cibus et potus in aeternum viventibus. O te beatam*

si intime penetrare quid sit: *Erit Deus omnia in omnibus; quid, inquam, sit Deum summum et infinitum bonum, esse Sanctis omnibus victam, et amictum et vitam et omnia, certe praesentia fastidire omnia, et sola quae sursum sunt, sapere, et querere. Sed pergamus ad cetera. Illud item simile miraculo est, quod in conservanda et propaganda vita mortalium Deus attribuit rebus tenuissimis motum continuum, ac sine fatigatione longissimum. Multum omnino laboraverunt homines, ut horologium construerent, in quo rotae vi ponderum ad viginti quatuor horas sine intermissione decurrerent. Quanta igitur sapientia Deus facit, ut vi nutritiva perpetuo et sine ulla intermissione operetur toto tempore, quo planta, vel animalia vivunt? atque etiam ut pulmones et arteriae sine intermissione moveantur, ad annos septuaginta, vel plures; necesse est enim vim nutritivam operari, et pulmones atque arterias moveri ab initio vitae usque ad finem. Itaque in iis qui ad annos octoginta, vel nonaginta vivendo perveniunt, per idem tempus necesse est pulmones et arterias in iisdem semper moveri, et ante diluvium cum homines ad annos nongentos pervenirent, oportuit pulmones et arterias, res videlicet fragiles et tenues, ad annos nongentos sine ulla intermissione, vel requie perpetuo agitari; certe, qui ista non mirantur, et existis sapientiam Dei non suspiciunt, et adorant, eos lumine sapientiae omnino carere necesse est. Accedit tertio, quod sapientia Dei, quamvis possit sine ullo labore hominum, et animalium ceterorum, atque etiam sine ministerio solis, et aliarum secundarum causarum, herbas et arbores producere, et conservare, ut paratum haberent omnia videntia cibum suum: voluit tamen uti ministerio secundarum causarum, et labore atque industria hominum, et animalium ceterorum, ut non langueret otio, sed vires suas exererent omnia, ac voluit etiam ut inter homines alii divites essent, alii pauperes, ut haberent omnes occasionem colendae virtutis, et vinculo charitatis colligerentur, hinc enim fit, ut divites liberalitatem et misericordiam, pauperes patientiam et humilitatem exerceant: et divites egeant opera pauperum ad agros colendos, et pecora nutrienda, et variis artibus paranda, quae necessaria sunt omnibus: et pauperes contra divitum opera indigeant, qui eis pecunias et instrumenta praebant, quibus ipsi*

victum sibi, et vestimenta, atque alia necessaria comparant, neque est cur pauperes de divina sapientia conquérantur. Deus enim, qui omnia novit, et omnes diligit unicuique dedit quod ei ad vitam sempiternam obtinerem, utilius esse praevidit, quomodo in terris medici ægrotis quibusdam inediam imperant, et venam secant, aliis vinum et carnes indulgent, et ut recreentur, jubent, plurimi nunc certe pauperes salutem æternam consequuntur, qui si divites fuissent, in æternum periissent, et quamvis divites quaque salvi esse possint, si divites esse studeant in operibus bonis, et facile ac libenter tribuant, quod ad communicandum, non ad recedendum a communi Domino acceperunt: tamen negari non potest, quin via ad vitam æternam tutior, et planior, et expeditior sit paupertas, quam divitiæ; non decipit nos divinus Magister, qui ait: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum colorum.* Et iterum: *Beati pauperes, quia eorum est regnum Dei, et: Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram; neque decipit nos Apostolus, cum ait in priore ad Timotheum: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum Diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem, et quod Dominus et Apostoli verbo docuerunt, idipsum confirmarunt exemplo, de se enim Dominus dicit: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet, et Apostolus de se et coapostolis suis ait: Usque in hanc horam, et esurinus, et sitivus, et nudus sumus, et colaphis cadimur et instabiles sumus, id est, propriam domum non habemus, neque dubitari potest, quin sapientia Dei, et Filii, ac discipuli sapientiæ viam ad vitam planissimam et tutissimam elegerint. Sed quia *Stultorum infinitus est numerus, pauci* viam hanc sponte eligunt, plurimi autem ab ea toto affectu, viribusque declinant. Postremo illud est, in quo longitudo divinæ sapientiæ cernitur, quod quemadmodum ipsa æterna est, sic rebus omnibus instinctum vivacissimum indidit conservandi sui, ac vitam, vel esse suum, quo possint diutius propagandi. Videmus homines cum in periculo vitæ se constitutos cernunt, omnia movere, nec ullis opibus, aut laboribus parere; videmus animantia omnia supra vires cum robustioribus pugnare, ne vitam amittant, videmus lucernam ardentem, cum pro-**

xima extinctioni est, his terve seipsam excitare, et magnam flammam emittere, ut viribus totis cum extinctione collectari videatur; videmus guttas aque aliquando pendere de ligno, vel lapide, seque in orbem redigere, et quamdiu possunt seipsas sustinere, ne diffluant, et pereant, videmus gravia contra naturam ascendere, et levia item contra naturam descendere, ne defur vacuum, et ipsa disjuncta a rebus aliis conservari non possint. Sed mirabilis est, quod ad propagandam speciem tam vehementem affectum indiderit Deus parentibus erga proles, ut omnino incredibile videatur. Videmus gallinam infirmari pro pullis, et quamvis infirmam ac debilem acerrime pugnare contra milvos, et canes, et vulpes; quot vero dolores et labores tolerant libenter mulieres in pariendis et educandis infantibus, omnes norunt. Hujus rei causa est consilium sapientiæ Dei, qui ut hanc propagationem, veluti umbram æternitatis aleret, amorem vehementissimum animantibus omnibus, etiam brutis, et feris erga proles impressit. Nam cum multa sint animantia, quorum destructioni omnes homines dant operam, vel utilitatis propriæ causa, ut lepores, apri, turdi, coturnices, perdices, pisces fere omnes: vel ne noceant, ut lupi, vulpes; serpentes, et alia id genus innumerabilia, facile species animalium multæ jamdudum periissent, nisi Dei sapientiæ per hunc affectum conservationi et propagationi eorum providisset, sed si tantus amor naturaliter inest in omnibus viventibus erga vitam istam brevem, et ærumnis plenam quantus esse deberet amor in nobis erga vitam beatam, et sempiternam! O cæcitas et stultitia generis humani, res omnes pro vita brevissima, pro umbra æternitatis, laborant supra vires: et homo ratione præditus pro vera æternitate vitæ, felicissimæ, non dignatur laborare, non dico supra vires, sed pro viribus, res omnes ex naturali instinctu mortem temporariam horrent, et fugiunt super omnia mala; et homo ratione instructus, et fide divina edoctus, mortem sempiternam neque horret, neque fugit, saltem, ut temporaria mala fugere et horrere consuevit. Vere igitur dixit Ecclesiastes: *Stultorum infinitus est numerus, et vere dixit Veritas in Evangelio: Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sicut, qui inveniunt eam.*

Jam vero altitudo prætiæ sapientiæ Dei

perspicitur in opere redemptionis. « Non satiari, inquit S. Augustinus, dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani. » Altissimum vere consilium fuit per ignominiam crucis resarcire omnia damna, quæ astutia Diaboli per peccatum primi hominis fecerat, et ita resarcire, ut pulchrius fuerit opus instauratum, quam fuisset antequam restauratione indigere cœpisset. Quatuor mala nata sunt ex peccato primi hominis, injuria Dei ex superbia et inobedientia Adami: pœna primi hominis, et totius humani generis, id est, privatio gratiæ Dei, et sempiternæ beatitudinis; contristatio Angelorum, quibus vehementer displicuit injuria Dei, et miseria hominum; gaudium Diaboli, et omnium spirituum malignorum, qui lætabantur hominem a se devictum, atque prostratum. Hæc omnia mala sustulit, et in majora bona convertit sapientia Dei per mysterium crucis, ut non sine causa canat Ecclesia, « O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit redemptorem. » Certe enim si vestem novam et pretiosam casu aliquo scissam et laceram sartor industria sua et ornamento aliquo superaddidit ita resarciret, ut elegantior et pretiosior fieret, jure dici posset, felix scissio, quæ tanta venustati occasionem dedit. Primus igitur homo, per astutiam et invidiam Diaboli, in superbiam elatus, affectavit similitudinem Dei, et inobediens Deo præceptum ejus prævaricatus est. Ita Deo debitum honorem quodammodo rapuit. Sed secundus Adam Christus, qui sapientia Dei est, *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, et honorem Deo restituit multo majorem, quam fuerit ille, quem primus Adam superbiendo et inobediendo abstulit. Adam enim purus homo erat, et si Deo paruisset, in re facillima paruisset. Quid enim magni erat primis hominibus abstinere a fructibus unius arboris vitæ, cum plurimæ et optimis abundarent? itaque peccatum quidem eorum gravissimum fuit, et tanto gravius, quanto facilius obedientia fuisset; cum nihil laboris contineret. Christus vero Deus et homo erat, et humiliavit se ad obediendum Deo Patri in re omnium maxima, et laboriosissima, id est, in morte crucis plena doloris, et ignominie; proinde si consideremus eminentiam personæ, et profundum humilitatis et obediencie, nihil potest cogitari majus, vel magis meritorium, vel honorificentius Deo, quam humilis illa Christi*

obediencia. Itaque verissime dicebat Dominus in Evangelio: *Ego te clarificavi super terram.* Vere enim coram Angelis Dei, et coram omnibus sanctis mentibus Prophetarum, et aliorum, quibus ista innotuerunt, glorificavit Deum Patrem Jesus Christus, gloria plane inenarrabili, et si Angeli in Christi navitate ob humilitatem præsepis ceciderunt: *Gloria in excelsis Deo*, multo magis hoc ipsum majori jubilo cantaverunt ob humilitatem crucis. Jam vero ipse homo si non peccasset, obtinisset, ad summam æqualitatem Angelorum: nunc autem per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, obtinuit genus humanum, ut unus homo super omnes Angelos exaltatus in dextera Dei sedeat, sitque caput et Dominus Angelorum, et hominum. Sic enim de Christo scribit Apost. Petrus in priore epistola: *Profectus in cælum subjectis sibi Angelis, et potestatibus, et virtutibus et coapostolis ejus Paulus ad Philippenses: Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum.* Itaque Filius clarificavit Patrem humilitate passionis modo inenarrabili, et Pater clarificavit Filium exaltatione ad dexteram suam modo item inenarrabili, quæ clarificatio ita redundavit in totum humanum genus, ut plane sint ingratissimi, qui hoc immensum beneficium non agnoscunt, et pro eo gratias Deo non agunt. Quid? quod non solus Christus Deus, et homo, sed ipsa mater ejus exaltata est super omnes choros Angelorum, quæ tamen homo solum est, non Deus. Quare homines tanta accessione gloriæ sibi facta, ad eam, quam habuissent, si primus homo non peccasset, jure possunt exclamare: O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit redemptorem. Porro Angeli sancti sicut contristati sunt de casu primi hominis, tamquam de gravissima ærumna fratris sui minoris: sic etiam maximo gaudio affecti sunt ex copiosa redemptione per Christum facta. Si enim *Gaudium est in cælo coram Angelis de uno peccatore penitentiam agente, quanto magis gaudium maximum fuisse credendum est coram eisdem Angelis, quando viderunt, per Christum hominem justitiæ Dei plenissime satisfactum pro humano genere fuisse, et clave crucis ejus aperta credentibus regna colorum? Neque suspicandum est, Angelos sanctos molesto fuisse, quod hominem Christum, et Beatissimam Virginem supra ipsorum Angelorum*

eminentiam Deus extulerit, adest enim omnis livor et invidiam ab Angelis, et iidem charitate verissima atque ardentissima pleni sunt; charitas autem non æmulatur, non inflatur, non trisatur de bono alieno, sed collatur, et congaudet bonis omnibus, de bono ipsorum, non minus quam si proprium esset. Itaque vere canit Ecclesia: *Assumpta est Maria in caelum, gaudent Angeli*, non inquit, trisantur, sed gaudent Angeli, quod Virginem Deiparam exaltatam videant super choros Angelorum ad caelestia regna. Intelligent enim id iustissime factum a Deo, qui nihil nisi sapientissime et iustissime facit: et simul voluntatem habent cum Dei voluntate ita conjunctam inseparabili et insolubili amoris nexu, ut quod placet Deo, ipsis etiam placeat, neque ullo modo displicere possit.

Diabolus autem, qui ad tempus exultavit, ob devictum ac prostratum a se primum hominem, multo majorem tristitiam habuit de victoria Christi hominis, quam fuerit prior exultatio. Ex victoria enim Christi factum est, ut jam non solum viri, qualis erat Adam, sed etiam parvuli, et feminae Diabolo insultent, ac de ipso triumphent. Non fuisset turpe Diabolo vinci ab Adamo in Paradiso, quando carebat ignorantia, et infirmitate, et armatus erat iustitia originali, quæ partem inferiorem rationi ita subiebat, ut rebellare non posset, nisi prius mens ipsa Deo rebellis existeret. At nunc vinci Diabolum ab homine mortali, peregrino, ignorantia et concupiscentiæ obnoxio, summum dedecus est, et vincitur tamen per Christi gratiam, et ita vincitur, ut multi trophæa castitatis, patientiæ, humilitatis, charitatis erigant, quamvis Diabolus ignita jacula sua tentationum et persecutionum assidue jaciatur. Atque in hac re admiranda est supra modum altitudo sapientiæ Dei. Vidit enim Deus necessariam esse generi humano contra insidias Diaboli, contemptum temporalium bonorum, voluptatum carnis, affluentia divitiarum, gloriae mundanae, et similibus, quæ sunt laquei Diaboli, et captivos demergant in interitum et perditionem. Quid igitur excogitavit, ut ista hominibus amarescerent, et contraria, id est, castitas, paupertas, humilitas, patientia, contemptus denique mundi dulcescerent? descendit ipse de caelo, et forma servi suscepta, medicamentum necessarium, homini ægrotato, sed amarissimum, et horrendum, ita exemplo suo dulce et suave reddi-

dit, ut multi jam homines magis ament jejunium, quam crapulam; paupertatem quam divitias; virginitatem, quam conjugium; martyrium, quam delicias; obedire, quam imperare; contemni, quam honorari; subesse, quam præesse; humiliari, quam exaltari. Quis enim videns Deum in forma humana, plenum sapientiæ, et gratia, et qui falli, nec fallere potest, pauperem, humilem, patientem, continentem, et quod mirabilis est, pro redimendo humano genere, crucifixum, et pretioso effuso sanguine voluntarie, et ex ardentissima charitate morientem, non animetur, et excitetur ad imitandum?

Hæc fuit adinventio sapientiæ Dei alta, et mirabilis, de qualibus adinventioibus canit Isaias: *Notas facite in populis adinventioes ejus*. Sed adhuc tamen hæc altissima sapientia Dei, stultitia videtur, non solum sapientibus hujus mundi, ut dicit Apostolus in priore ad Corinthios, sed etiam carnalibus, et animalibus hominibus, qui in Christum credunt, sed Christi vestigia sequi recusant, quos idem Apostolus inimicos crucis Christi vocavit. Tu vero anima mea, satage sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, id est, sapientiam de stultitia, sapientiam Dei de stultitia crucis. Scrutare attente, et diligenter, quis ille sit, qui pendet in cruce, et cur ita pendeat; et cum inveneris illum ipsum esse, *Qui sedet super Cherubim*, in o *Qui sedet ad dexteram majestatis in excelsis*, facile intelliges, eum non pendere in cruce ob sua delicta, neque ob suam infirmitatem, neque ob aliorum potentiam, sed voluntarie ob ardentissimum desiderium satisfaciendi justitiæ divinæ pro peccatis totius mundi, ob honorem et gloriam Dei Patris, ob salutem æternam omnium electorum, ac, ut loquitur Apostolus, *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam*; denique ob amorem tuum, quia videlicet *Dilexit te, et tradidit semetipsum pro te hostiam et oblationem Deo in odorem suavitatis*, cum, inquam, ista inveneris, quæ verissima sunt, assurge per amorem intimum in tantum benefactorem, et ad ejus imitationem, incipe ardentem sifire gloriam Dei, salutem omnium gentium, sed præcipue, totius Ecclesie pulchritudinem, et gloriam, et tuam ipsius æternam salutem: incipe sifire perfectum odium iniquitatis, puritatem cordis, perfectionem justitiæ; et aliquando etiam sifire incipias participationem crucis Domini tui, et gloriari in tribulationibus, et in an-

gustis, ut postea quoque particeps fias Resurrectionis cum justis ad gloriam, non ad poenam cum impiis.

Restat profunditas sapientiæ practicæ, quæ in providentia, et prædestinatione, et iudicis Dei consistit. Scriptum est enim: *Judicia tua abyssus multa*. Ac primum providentiam Dei admirabilem prorsus esse colligitur ex eo quod Deus res omnes creatas immediate regit, atque ad fines suos ducit. *Aequaliter*, inquit Sapiens, *est ei cura de omnibus*, id est, nulla re excepta, Deus omnia curat, ita ut nec passerulus cadat in terram sine providentia Dei, ut Salvator dicit. Qui numerare poterit multitudinem rerum totius universitatis, is aliquo modo suspicari poterit magnitudinem sapientiæ Dei omnia, et singula regentis, et dirigentis. Poterit quidem unus Pontifex Maximus totum orbem Christianum generali providentia regere, sed non particulari, quæ se extendat ad singulos Christianos: ideo enim multos Episcopos vocat in partem sollicitudinis, et potest unus rex multas provincias generali providentia gubernare, sed non particulari: quæ cives singulos complectatur, et ea de causa multos adhibet proreges, vel pretores, vel presides. Deus autem sic curat singulos, ut omnes, ut singulos. *Passerculus non est in oblivione coram Deo*. *Capilli capitis nostri omnes ab eo numerati sunt*, ac ne unus quidem peribit, illius providentia super nos semper vigilante. Pulli ipsi corvorum a parentibus deslituti, a Deo non desituuntur. Quam secure ergo quiescere potes, anima mea, in sinu tanti patris, etiam in mediis tenebris? inter ora leonum, et draconum, inter innumerabiles spirituum innumerabilium legionem? adhære tantum illi amore sincero, timore sancto, spe non fluctuante, fide non dubia. Nec vero solum res singulas et presentes Dei providentia curat, sed etiam attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Ideo enim rex sæculorum Deus appellatur, quia sæculorum ordinem ipse constituit, et regnorum successiones, et temporum vicissitudines, et varietates ab ipsa æternitate disposuit, nihil novum, nihil non prævisum, nihil præter opinionem Deo accidere potest. *Mortalium quidem cogitationes timida sunt, et incerta providentiæ nostræ*, ut inquit Sapiens, quoniam de rebus futuris nihil nisi fallaces conjecturas habemus; Deus autem non minus certo futuro omnia novit, quam præterita,

vel presentia, atque in mente sua ante mundi constitutionem rerum omnium successiones ordinesque disposuit; ac propterea Mater Ecclesia publice ac secure decantat, providentiam Dei in sua dispositione non falli; quia tamen ratio providentiæ divinæ occultissima est, et iudicia ejus abyssus multa, inde fit, ut nonnulli videntes plurima mala inter homines fieri, eaque impunita dimitti, in præcipitium illud ruunt, ut credant res humanas Dei providentia non gubernari, aut certe mala omnia Dei voluntate committi, quorum utrumque impium est, sed magis posterius, ut scribit S. Augustinus. Illi autem in hæc errorum præcipitia ruunt, qui vident partem providentiæ divinæ, partem non vident, et cum expectare deberent exitum rerum, qui in extremo iudicio manifestus omnibus erit, illi ante tempus temere judicare audent, et in errores gravissimos incidunt. Ideo clamat Apostolus in priore ad Corinthios: *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*. Illustrat S. Augustinus rem hanc insigni similitudine. Si quis, inquit, in vermiculato parvimento, unius solius tessellæ modum intueri posset, vituperaret artificem veluti ordinationis et compositionis ignarum: quia videlicet partem operis illius videt, maximam partem non videt, qui si partes omnes, et connexionem eorum cerneret, sine dubio mirifice opus et opificem laudaret; sic igitur vident multi homines impios prospere agere, justos contra premi, et affligi, nec sciunt, quid in futurum servet Deus, vel impiorum iniquitati, vel justorum patientiæ, et ideo prorumpunt in verba blasphemia, vel cum illis, qui dicebant apud Job: *Circa cardines caeli Deus ambulat, nec nostra considerat*, vel cum aliis, qui apud Malachiam dicunt: *Omnia qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales placet ei?* Aliam similitudinem afferre solet S. Augustinus variis in locis, a carminibus desumptum. Si quis enim cum incipit audire carmen heroicum, in principio, vel in medio dicat, carmen non esse bonum, merito stultitia arguetur: expectet, ut omnes syllabæ sonent, et transeat, et tunc reprehendet, si carmen non placet; sic omnino stultissimi sunt; qui ordinatissimam providentiam Dei vituperare audent, atque tam totius providentiæ ordo decurrat.

Ergo, anima mea, si sapias, satage quantum

potes, ut mala non fiant, hoc enim tibi imperat Deus: sed cur ipse mala permittat, iudici ejus relique, quod occultum esse potest, injunctum esse non potest.

Quamvis autem abyssus magna sit ratio providentia Dei in rebus humanis gubernandis, tamen abhysus est sine ulla comparatione profundior ratio prædestinationis, et reprobationis æternæ, nam cur Deus multos impios temporalibus bonis repleat, et peccata eorum impunita in hac vita relinquat: et contra, cur multos innocentes egestate premi, et injuste vexari, et flagellari, atque occidi permittat, non potest quidem a nobis investigari de singulis: possumus tamen in universum causam aliquam probabiliter assignare. Deus enim sæpe facit, impios affluere temporalibus bonis, ut bona aliqua eorum opera moralia remuneret, cum vitam illis non sit daturus æternam: vel ut eos temporalibus beneficiis allicit ad conversionem a peccatis, atque ad beneficia æterna speranda et desideranda perducatur: eorum vero peccata aliquando in hac vita non punit, quoniam satis ea punit in gehæna: justos autem, inopia, ignominia, vexationibus variis affligi sinit, tum ut peccata eorum levia in hoc tempore purget, tum ut gloriosius et splendidius patientiam, et humilitatem, atque alia eorum merita in æterna vita coronet. At cur Deus Jacob dilexerit, et Esau odio habuerit, antequam quidquam boni, vel mali egressent, quis investigabit? atque hoc est quod admiratur Apostolus ad Romanos, erant enim gemelli fratres, ejusdem patris et matris filii: et tamen unum Deus prædestinando dilexit, alterum reprobando odio habuit, et ne quis forte dicat, prævidisse Deum opera bonâ unius, et alterius mala futura, prævenit Apostolus hanc responsionem dicens, hoc factum esse, ut secundum electionem propositum Dei maneret, et allegat verba Dei apud Mosem: *Miserebor, cujus misereor, et misericordiam præstabo, cujus miserebor.* Quis item non obstupescet, unum longo tempore perseverasse in bonis operibus, et in fine vitæ defecisse, et periisse, ut Judam proditorem, et alterum longo tempore perseverasse in operibus malis, et in fine vitæ, mutatum, continuo in Paradisum evolasse, ut felicem latronem? Dices: at Judas Christum prodidit, et latro confessus est. Vera sunt hæc quidem, sed non poterat Christus Judam respicere, ut respexit Petrum? et gratiam illam effica-

cem Judæ inspirare, quæ a nullo duro corde respuitur? et numquid non poterat Christus utrique latroni secum pendenti fidem et penitentiam donare, sicut donavit uni, vel utramque sinere in peccatis suis vitam finire, ut permisit unum? et quis rationem reddere poterit, cur aliquos Deus rapiat, ne malitia mutet intellectum eorum, ut Sapiens loquitur de Henoch, et multos non rapiat, sed sinat de bonis fieri malos, et in malitia illa finire dies suos? Sed quid dicemus de integris regionibus, quarum aliqua citissime, aliæ tardissime vocatæ sunt ad fidem, sine qua salvari nemo potest? *Qui enim credit, jam judicatus est, et ut Apostolus loquitur, Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocant, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine predicante? quomodo vero predicabunt, nisi mittantur?*

Ista sunt secreta altissima, et profundissima, quæ Pater posuit in abyssu sapientiæ suæ; quam Apostolus non aperit, sed miratur, cum dicit: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus; quis enim cognoscit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* Hoc solum scire nobis licet, apud Deum nullam esse iniquitatem; et in novissimo die neminem futurum, qui non possit jure dicere: Justus, es Domine, et rectum judicium tuum, ac præterea hoc secretum utile nobis omnibus esse, cum hinc fiat, ut nullus improbus de salute desperet, nullus probus de certa salute præsumat, atque etiam ut viri probi de nullis improbi conversione diffidant, pro omnibus orent, ac de omnium salute solliciti sint: et contra nemo quantumvis bonus, et sanctus insolescat, cum nemo sciat, quid crastina sit allatura dies, sed omnes cum metu et tremore salutem suam operentur. Tu vero, anima mea, his omnibus consideratis, satage, ut certam facias per bona opera vocationem et electionem tuam, ut Apostolus Petrus te monet in epistola sua posteriore, quæ autem sint opera bona, quæ certam faciunt vocationem, et electionem, docet Apostolus Joannes, cum ait: *Filii mei, non diligamus verbo, neque lingua sed opere, et veritate.* Caritas enim est, cum quæ nemo damnatur, et sine qua nemo salvatur, charitas autem per opera demonstratur, cum quis videlicet, non spe retributionis temporalis, vel ex affectu inor-

dinato ad creaturam, sed ex intimo et puro amore Dei, et proximi, vel eleemosynas pauperibus largitur, vel inimicis condonat injurias, et quoniam non satis est incipere, sed: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ideo dicit Apostolus, satagite, quod est anxie et sollicitè ac diligentissime incumbere in negotium salutis æternæ, et vere si quod est probabile argumentum electionis divine, illud est, cum homo sollicitus de salute, magis quam de ulla re alia, non cessat orare Deum pro dono veræ penitentiae, et veræ humilitatis, et perfectæ charitatis, et perseverantiæ usque in finem, neque sola oratione contentus regnum Dei et justitiam ejus, ut Salvator admonuit, totis viribus querere et invenire contendit.

#### GRADUS DECIMUS QUARTUS.

*Ex consideratione misericordiæ Dei.*

Spiritus sanctus in Scripturis suis misericordiam Dei miris laudibus effert; ita ut illam super omnia opera Dei predicare non dubitet. Sic enim canit Propheta David: *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Hujus attributi divini magnitudinem facile perspiciemus, si ejus latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum paulo attentius considerabimus. Latitudo misericordiæ divinæ in eo posita est, quod Deus, isque solus omnes miseras tollere possit, et ab omnibus rebus aliquas tollat, idque faciat ex amore, quo res creatas diligit, non ob aliquam utilitatem suam, possunt quidem res creatæ aliquam miseriam tollere, ut panis famem, et potus sitim, et vestis nuditatem, et scientia ignorantiam, et sic de cæteris, at nulla creatura omnem miseriam tollere potest. Præterea sunt miseria quaedam tanto graviore, quanto occultiores, et interiores, quibus solus Deus remedium adhibere potest, tales sunt insidiæ Demonum, qui plurimi, versutissimi, potentissimi, et in nos pessime animati sunt, tales etiam sunt errores, et cæcitates mentis, et conscientia erronea, quas nos ipsi in nobis non videmus, ut sæpe nobis, videantur optime valere in homine interiore, cum gravissime et periculosissime laboremus, quis nos ab ejusmodi miseriis eripere potest, nisi solus medicus omnipotens? et quoniam nobis inscientibus sæpe Deus misericorditer nos ab ejusmodi miseriis liberat, omnes homines

ingrati merito dici possunt erga Deum, ut ipsi: Dominus testatur cum dicit, Patrem cœlestem *Benignum esse super ingratos, et malos.* Vix enim minimam partem beneficiorum Dei cognoscimus, ac ne pro illa quidem parte gratias agimus ea devotione, et humilitate qua debemus. Deinde res creatæ non solum non tollunt omnes miseras, sed paucas: at ne illas quidem tollunt ab omnibus, sed à paucis, solus Deus omnes miseras, et ab omnibus tollere potest: et quamvis non ab omnibus omnes tollat, tamen nemo est, qui alienus misericordiæ Dei non sit particeps, recte igitur Propheta canit: *Misericordia Domini plena est terra.* Ecclesia in oratione dicit: *Deus cui proprium est misereri,* quoniam ad illum pertinet, miseriam tollere, qui miseria caret; et ad illum solum pertinet omnes miseras ab omnibus rebus tollere, qui solus omni prorsus miseria caret. Quis autem omni prorsus miseria caret, nisi solus Deus, qui est æctus purus, et summum bonum, et de cujus essentia est beatitudo? O anima, si cogitatione attingeres, qualis sit vita Domini tui, et Patris tui, quæ super omnem miseriam elevata, pura, et tota felicitas est: quam ex corde suspirares ad sinum ejus, ut de te quoque dici possit: *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* At, inquis, si potest Deus omnes miseras ab omnibus rebus tollere, cur id non facit, cum sit Pater misericordiarum, id est, Pater misericordissimus? unde tot miseriæ abundant in genere humano sub gubernatione Patris misericordiarum? et cur dicitur: *Misericordia Domini plena est terra,* et non potius e contrario, omni miseria plena est terra? potest quidem Deus omnes miseras tollere, sed eas tantum tollit, quas sapientia ipsius judicat esse tollendas; sapientia vero divina judicat, non expedire ipsis hominibus ut omnes tollantur, et misericordiam aliquando esse miseriam aliquam non tollere, ut majori misericordiæ prepararetur locus. Apostolus te rogavit Dominum, ut auferretur ab eo stimulus carnis, et non est auditus, quia *Virtus in infirmitate perficitur,* non abstulit Deus a Lazaro miseriam paupertatis, et plagarum ut majori misericordiæ portaretur ab Angelis in sinum Abraham, et ubi essent opera misericordiæ tam necessaria ad meritum divinum, si non essent ulli pauperes, esurientes, sitientes, nudi, ægroii, peregrini, carceribus mancipati? et si desissent tentationes, et prælia

cum Dæmonibus, ubi essent triumphus et corona virginum, et confessorum? et si deessent labores, et dolores, ubi esset corona patientiæ? et si nulli essent persecutores, ubi esset palma martyris? Itaque in hoc exilio utrumque verum est, et terram plenam esse miseriis, quia vel ipsa sola peccata ingentes miseriis sunt; et terram plenam esse misericordia Domini, quoniam conversio peccatorum, et merita sanctorum, et alia propemodum infinita, tum spiritualia, tum temporalia beneficia Dei, quid sunt aliud, nisi continuæ et maximæ miserationes conditoris nostri Dei? Gratias igitur agamus bono Domino nostro, quia sicut abundant in hac peregrinatione tribulationes nostræ, sic etiam abundat per misericordiam ejus consolatio nostra. *In cælo misericordia tua, Domine*, inquit David, quia tibi misericordia erit sine miseria, quoniam misericordia omnem omnino tollet miseriam.

Jam vero longitudo misericordiæ est longanimitas, sive patientia, quam Scriptura cum misericordia conjungere solet, ut partem, vel speciem ejus; sic enim loquitur David: *Miserator, et misericors Dominus, longanimitis et multum misericors*, et rursus: *Miserator, et misericors Dominus, patiens et multum misericors*. Admirabilis omnino est longanimitas, sive patientia misericordissimi Patris nostri Dei erga genus humanum, qualem non invenimus, neque in dominis erga servos, neque in parentibus erga filios, quamvis utrique sint homines. Ac primum longanimis est Deus erga peccatores, expectans illos incredibili patientia, aliquando ab initio pueritiæ usque ad extremam senectutem, tolerans violationem legis suæ, et lacerationem nominis sui, et interim, *Benefaciens eis de cælo, dans pluviam, et tempora fructifera, replens cibo et lætitia corda ipsorum*, ut loquitur Apostolus, et quis est inter homines dominus, aut parens tam mitis, et facilis, qui si videat se contemni, et injuriis affici a servo, vel a filio, et longo tempore in hac perversitate eos perseverare, qui tandem non eos expellat ex domo sua? At misericordia Dei non vincitur a mælitia hominum: *Sed patienter agit nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti*, ut S. Petrus affirmat in epistola sua, et Sapiens inquit: *Misereris omnium, Domine, dissimulans peccata propter penitentiam*. Deinde patientia major adhuc cernitur, in eo, quod peccatores multi per gratiam Dei de lacu miseriæ, et luto faciès

educti, et ex filiis tenebrarum filii lucis effecti, et ex reatu mortis æternæ ad adoptionem filiorum Dei, et spem regni cælestis vocati, iterum atque iterum, et sæpe ac sæpius relabentes ad pristinam turpitudinem, et ingratitude, tamen a longanimitate Dei non deserunt, sed benignissime ad conversionem expectantur, et invitantur; et si ex corde penitentiam agant, tamquam filii prodigi a misericordissimo Patre recipiuntur ad osculum pacis, et ad pristinos honores, et dignitates. Non sine causa Dominus querenti Petro, quoties peccanti in se fratri remittere injuriam deberet, an usque septies? respondit: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuages septies*, nimirum, quod ipse facit in indulgentia prestanda penitentibus, idem nos facere voluit. Ipse autem nullum terminum reconciliationi posuit, nisi finem hujus vite. Quamdiu vivit peccator, etiamsi ad annum centesimum, vel ultra labendo, et relabendo pervenerit, a benignissimo Patre ad veniam delictorum admittitur, nulla est apud misericordiam Patris penitentia sera, modo sit seria, et ex corde vere contrito, et humiliato. Sed non ideo debet nullus abuti benignitate Dei, et de die in diem conversionem differre, cum nemo sciat qua hora, vel quo die de corpore sit exiturus, et ad tribunal justissimi Judicis compariturus. Imo vero debent omnes hac tanta et tam incredibili bonitate Dei invitari, et allicii ad conversionem, si enim tam benignus est Dominus erga peccatores sæpius relabentes: quanta erit dulcedo Patris erga eos, qui post semel gustatam gratiam Dei, nunquam amplius adduci possunt, ut ab ea quibuscumque pulsantibus tentationibus, separentur, ac divellantur? sed est etiam alia longanimitas Dei supra modum mirabilis, et amabilis: qua utitur in tolerandis offensionibus justorum; fecit enim nos Deus per infinitam benignitatem suam amicos ex inimicis, filios ex servis, hæredes regni sui ex reis mortis æternæ: et tamen tanta est ingratitude nostra, ut quotidie reddamus ei mala pro nobis, nam si Apostolus Jacobus dicit: *In multis offendimus omnes*, quid nos dicere oportet, qui tam longo intervallo ab Apostolorum perfectione distamus? Ecce loquimur in oratione cum Deo, et statim ab imaginatione ad alia cogitanda abrepti, quasi terga vertimus Deo. Quis in terris dominus pateatur servos suos coram se adstantes, et secum loquentes, continuo neglecto domino

converti ad fabulandum cum servis? quid dicam de verbis otiosis? de cogitationibus, vanis? de operibus infructuosis? de excessibus in cibo, et potu, in somno, et ludis? de negligentia in rebus sacris? de omissione fraternæ correptionis? de aliis innumerabilibus offensionibus, in quibus assidue offendimus omnes? Et tamen Deus noster *Suavis, et mitis, et multa misericordiae, omnibus invocantibus eum*, tolerat hanc rusticitatem, et incivilitatem (ut sic loquar) et ineptias filiorum suorum; quas certe homines ab hominibus non tolerarent. Id S. Augustinus notat in tractatu super Psalmum LXXXV, ad illa verba: *Tu, Domine, suavis et mitis es*. Ubi deplorat infirmitatem humanam in vitandis evagationibus mentis in oratione, et magnificentia mansuetudinem Dei in tolerandis tot injuriis servorum suorum. Nam ipse novit figmentum nostrum, et sic nobiscum agit, ut mater cum infantulo suo, quem fovet, et nutrit, etiamsi ab illo forte percutiatur. Sed quamquam Deus toleret tam multas offensiones nostras, quia non ideo dirumpit amicitiam, nec privat jure hæreditatis: tamen non inultas dimittet in judicio, in quo de verbis otiosis rationem reddemus, nisi ante lacrymis, vel oratione, vel alio genere satisfactionis purgata reperit. Ac ne forte tu, anima mea, leves istas offensiones existimes, et ideo te ipsa seducens, negligas, audi S. Bonaventuram, quid de B. Francisco viro utique divino lumine illustrato, scribat in ejus vita. Graver, inquit, se putabat offendere, si quando orationi deditus vanis phantasmatibus interius vagaretur; cum aliquid tale accideret, non parebat confessioni, quin illud protinus expiaret; hoc studium sic in vnum converterat, ut rarissime muscas hujusmodi pateretur. Fecerat in Quadragesima quadam vasculum, ut minutas temporis, ne omnino exciderent, occuparet; quod cum dicens Tertiam in memoriam veniens paululum ipsius animum distraxisset, motus fervore spiritus, vasculum igne consumpsit dicens: *Sacrificabo illud Domino, cuique sacrificium impeditivum. Non ergo tam levis est culpa, evagatio mentis in oratione, aut in laudibus Dei, quam multi putant, sed magna est misericordia et longanimitas Patris nostri Dei, quod non gravius irascatur, aut non continuo propter eas non puniat.*

Sequitur altitudo misericordiæ Dei, quæ sumitur a causa movente Deum ad miserendum, quæ quidem altissima est, et super

omnes cælos exaltata, juxta illud Psalmi: *Domine, in cælo misericordia tua, etc. In æternum misericordiam edificabitur in cælis*. Nam aliqui homines miserentur aliorum hominum, quia indigent opera illorum, atque hic quidem infimus gradus misericordiæ est, cum non transcendat utilitatem propriam; quomodo miseremur etiam eorum, et canum, et pecorum nostrorum. Alii miserentur ob consanguinitatem, vel amicitiam, quia videlicet filii sunt, vel fratres, vel familiares, et amici, et hic est gradus paulo altior, et incipit rationem habere virtutis. Alii denique miserentur, quia sunt proximi, id est, homines, ut ipsi sunt, ab eodem Deo, et ex eadem terra creati, proinde non discernunt, an sint amici, vel inimici, boni, vel mali, nostri, an alieni, sed omnium miserentur, quos ad imaginem Dei creatos esse novērunt: atque hic est ultimus gradus, ad quem mortales ascendere possunt. Deus autem miseretur quidem rerum omnium, quia creaturae ejus sunt; et speciatim miseretur hominum, quia imagines ejus sunt, et magis adhuc speciatim miseretur justorum, quia filii ejus sunt, hæredes regni, et coheredes unigeniti sui, sed si quæras, cur Deus creavit mundum? cur hominem ad imaginem suam fecit? cur justificavit impios? cur in filios adoptavit? cur regni sui hæredes constituit? nihil omnino responderi potest, nisi quia voluit, et quare voluit? nisi quia bonus est, bonitas enim diffundit sese, libenterque communicat. In cælo igitur edificata est misericordia, et de altissimo habitaculo, ex corde videlicet summi Patris descendit in terram, eamque replevit, ut caneretur a Propheta: *Misericordia Domini plena est terra*. Itaque in se invenit Deus, unde miseretur nostri, in nobis invenit, unde nos puniat. Erige nunc, anima mea, oculos mentis, ad fontem illum altissimum misericordiæ, respice summam illam puritatem, nulla proprii commodi intentione permixtam, et cum audis Magistrum omnium exhortantem, et dicentem: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*, enitere quantum potes, ut non solum miserearis conservorum tuorum, sed illo puro affectu miserearis, quæ Pater cælestis miseretur nostri. Si dimittis injuriam detrahenti, vel columnanti, dimitte ex vero corde, obli-vioni perpetuæ maadans omnem offensam: nam et Pater noster obliviscitur peccata nostra, ut scribit Ezechiel Propheta, et

quantum distat ortus ab occidente longe facit a nobis iniquitates nostras, ut loquitur David, ne videlicet nobis amplius nocere queant. Si donas eleemosynam pauperi, intellige te magis accipere, quam dare: quoniam qui miseretur pauperi, fœneratur Domino, et ideo humiliter et reverenter dona, non tamquam eleemosynam pauperi, sed quasi munusculum principi. Si quid incommodi pateris, ut proximo egenti prosis, cogita quantum distes a Domino tuo, qui ut tibi prodesset, vitam et sanguinem dedit. Ita fiet ut sine spe mercedis terrena, et sine ullo inanis gloriæ stimulo, sed ex solo et puro amore Dei, et proximi in misericordiæ virtute proficias.

Restat profunditas consideranda misericordiæ Dei, ac quemadmodum altitudo misericordiæ in causa maxime splendet, sic profunditas ejusdem in effectis quærenda esse videtur. Illa igitur misericordia parum omnino profunda, et superficialis potius dicenda est, quæ ad sola verba descendit. Illa profundior, quæ non verbis tantum consolatoris, sed etiam beneficiis miseris sublevat et reficit. Illa profundissima, quæ non solum loquendo et donando, sed etiam patiando, et labores ac dolores subeundo miserabiles juvat. Jam Deus noster, cujus misericordiæ non est numerus, omnibus modis misertus est nobis. Ac primum litteras consolatorias ad nos misit, quæ sunt Scripturæ divinæ, de quibus dicunt Machabæi: *Habemus solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Nec solis litteris, sed etiam sermonibus prædicatorum, qui funguntur legatione pro Christo ad nostram peregrinationem, et inspirationibus internis ad nos loquitur Deus, auxiliium protectionemque promittens. *Audiam, inquit David, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquitur pacem in plebem suam, et in sanctos suos, et in eos qui converguntur ad cor.* Deinde beneficia misericordiæ Dei contra multiplices miseras nostras tum spirituales, tum temporales, tam multa sunt, ut numerari non possint, ubique enim *Coronat nos in misericordia, et miserationibus, id est, undique circumdat nos beneficiis misericordiæ suæ.* Tertio descendit misericordia Dei per mysterium Incarnationis ad labores, et dolores, ad famem, et sitim, ad ignominiam, et opprobria, ad livores, et vulnera, ad crucem, et mortem, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et a sempiterna morte, quæ iniquitati debebatur. Est ne

abyssus aliqua profundior, ad quam descendere poterit misericordia Dei? Est omnino. Id enim fecit, non ex debito, sed ex gratia. *Oblatus enim est, quia ipse voluit.* Quis enim coegit Filium Dei, qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Patri, exinanire semetipsum, formam servi accipiendo? propter nos egenum fieri, ut nos sua inopia locupletaret? humiliari usque ad mortem, mortem autem crucis, ut nos vivificaret, et exaltaret? certe solus amor coegit, sola misericordia impulit. Sed est adhuc aliquid profundius, nam voluit in opere nostræ salutis nobiscum communicare gloriam, et honorem. Satis apta videbatur divisio illa angelica: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, etc.,* honor Deo, utilitas hominibus, sed misericordia Dei voluit totam utilitatem esse nostram, et partem gloriæ esse suam, partem nostram; voluit enim nobis conferre gratiam, per quam ipsi coopereremur nostræ salutis, et vere mereremur vitam æternam, quam nobis Christus meruit, non quod non sufficeret meritum Christi, sed ut communicaret nobis laudem et gloriam propriæ salutis, unde dicitur in Evangelio, *Redde illis mercedem, et Apostolus gloriatur, dicens: Reposita est mihi corona justitiæ.* Denique profundissima est misericordia Dei erga homines, præsertim pios, et timentes Deum, quia superat affectum patris et matris, quo majorem nos in terris nullum novimus. Audi Prophetam Isaïam: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, et non miseretur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Audi Davidem: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Ac ne dices, inveni etiam parentes, quorum amor in filios aliquando mutatur in odium, addit David de misericordia Dei in filios: *Ab æterno, et usque in æternum misericordia ejus super timentes se, cujus etiam durationis nos securos reddidit Apostolus, in posteriore ad Corinthios vocat Deum, cum Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis.* Itaque non solum Pater est Deus timentium se, sed Pater misericordissimus, et ad consolandum paratissimus, tollit enim miseras afflictionum et tribulationum a filiis suis, quas judicat ipsi expedire, ut tollantur, et in hac re Patrem misericordiarum se ostendit: et ad facile tolerandas miseras, quas judicat ipsi expedire, ut non ollantur, præbet ineffabilem consolationem,

in qua re Deum se totius consolationis esse demonstrat. Dicit autem Apostolus, *Totius consolationis, propter duas causas: primum, quoniam Deus novit suos consolari in omni genere tribulationis, quod certe mundus facere non potest, quia sæpe non intelligit causam tribulationum: quomodo amici Job erant onerosi consolatores, ut ipse dicit, quia non noverant causam morbi, et applicabant medicinam, ubi non oportebat: vel tam grandis est interdum tribulatio, ut nulla consolatio humana illam æquare possit.* Deus autem, medicus sapientissimus, et omnipotentissimus, omnem omnino morbum curare potest, et ideo dicit Apostolus, *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Deinde dicitur Deus totius consolationis, quoniam tam plene et tam affluenter consolari novit, ut magis libeat pati tribulationem cum tali consolatione conjunctam, quam simul utroque carere, quod re ipsa accidit Theodoro adolescenti, et confessori in persecutione Juliani Apostatæ, qui per integras decem horas tanta crudelitate, et tot mutatis carnificibus tortus est, ut nulla ætas simile factum meminisset: et ipse tamen toto illo tempore letus cecinit Psalmos David: et tunc primum moestus fieri cepit, cum deponi jussus est, ob maximam consolationem, quam dum torqueretur, ex Angeli præsentia percipiebat, ut scribit Ruffinus. Quare non mirum est, si Apostolus dicat: *Repletus sum consolatione nostra, et initio epistolæ: Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Quid tibi videtur, anima mea, de ista tam ampla, tam diuturna, tam pura, et tam immensa misericordia Domini, qui honorum nostrorum non eget, et tamen ex affluentia charitatis suæ, tam est sollicitus de servulis suis, ac si ab illis penderet omne bonum suum? Quas igitur illi gratias ages? quid unquam præstare poteris, ut tantæ misericordiæ non sis ingrata? stude saltem quantum potes, ut illi placeas, et quod illi placet adimpleas. Et quoniam scriptum est: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est, et Misere animæ tuæ placens Deo,* incipe sollicite primum investigare miseras animæ tuæ: nam corporis quidem miseriæ patent, neque opus est admonere hominem, ut corporis sui miseretur, si enim vel unum diem corpus cibo et potu careat, vel unam noctem insomnem ducat, aut ex casu, vel vulnere

doleat, continuo lamentatur et rugit, et magna sollicitudine illi succurritur. Anima vero integras hebdomadas a cibo suo jejuna, vel plagis impositis languet, aut etiam mortua jacet, et nemo illius curam gerit, nemo miseretur. Ergo sæpe ac sæpius visita animam tuam: examina singulas potentias, an recte valeant, an proficiant in cognitione et amore veri boni: an contra, laborent ignorantia, et languent cupiditatibus variis, vel etiam excæcata sit malitia mens, et corrupta voluntas inadvertentiæ, aut superbiæ volens, et si quid tale inveneris, clama ad Dominum, *Miserere mei, quoniam infirmus sum.* Quære medicos spirituales, et adhibe remedia opportuna. Deinde miserere animum cæterarum, quarum infinitus numerus perit, et pro iis tamen Christus mortuus est. O anima, si vere cognosceres pretium animum, sanguinem videlicet pretiosum Filii Dei, et simul stragem maximam, quam patiuntur a lupis infernalibus, et quasi leonibus rugientibus Dæmonibus, certe non posses, non toto animo earum misereri: et tum oratione ad Deum, tum aliis quibuscumque modis posses, pro earum liberatione laborare. Denique miserere etiam corporalibus necessitatibus proximorum, non verbo et lingua, sed opere et veritate, memor verbi Domini: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

## GRADUS DECIMUS QUINTUS.

*Ex consideratione magnitudinis Justitiæ Dei, per similitudinem magnitudinis corporalis.*

Justitia Dei in Scripturis sanctis quatuor modis accipitur. Primum pro justitia universali, quæ continet omnes virtutes, et idem est quod sanctitas, sive probitas, sic in Psalmis: *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Deinde accipitur pro veritate, sive fidelitate, sic in alio Psalmo: *Ut justificeris in sermonibus tuis.* Tertio pro justitia distributiva præmiorum, sic in posteriore ad Timotheum: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus illa die justus Judex.* Denique pro justitia ulciscente peccata, sic in alio Psalmo: *Pluet super peccatores laqueos, ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum: quoniam justus Dominus, et justitiam dilexit.* Magnitudo igitur justitiæ divinæ nobis utcumque innotescet, si consi-